



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. V. Revocatio Arrii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

res in loco sepulchri simulachrum Veneris colloca-
verant, ut si quis ibi Christum vellet adorare, Vene-
rem potius adorare videretur. Invenitur & illic ti-
tulus à Pilato conscriptus; sed & aliæ quoque Cru-
ces. Tribus igitur crucibus repertis, *Macarius* ejusdem
loci Episcopus, defixis in terra genibus, cum Regina
Deum suppliciter deprecatur, ut quæ illarum crux
ad Dominicam gloriam fuerit, innoscat. Tunc ad-
hibitis duabus seminecis cujusdam matronæ corpo-
ri, nihil operantur, adhibet tertiam; & mox exsur-
gens mulier, magnificat Deum. Percepto itaque evi-
denti indicio, Regina templum mirificum in eo loco,
ubi Crucem repererat, statuit; clavos quoque quibus
corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium.
Ex quibus ille frenos & galeam aptat ad usum bel-
li, adimplens Zachariæ prophetiam dicentis; *Et erit,*
quod in freno est, sanctum Domino omnipotenti. Ligni vero
salutaris partem defert filio, partem sibi reponit. *So-
zomenus in Tripartita historia.*

CAP. V.

Revocatio Arrii.

DE hoc ligno Sibylla dixit apud Paganos; *O ter bea-
tum lignum, in quo Deus affixus est.* Præterea prædicti
Imperatoris mater octogesimo ætatis suæ anno de-
cedit, multa filio pietatis mandata derelinquens.
Quæ mox ille postponens, seductus à sorore sua Con-
stantia, & multis precibus ab ea interpellatus, Arri-

um de exilio revocari jubet, & mitti ad Episcopos, qui tunc forte Hierosolymis ad dedicationem ecclesiæ conveniant, fidemque ejus probari. Tunc ille fidem scripsit quæ quidem sensum nostrum, & verba nostræ continere professionem videretur. *Socrates in Tripartita historia.*

C A P. VI.

De probrosa morte Arrii.

Imperator autem adhuc de *Arrio* experiri volens, eum revocat ad palatium. Qui percunctatus de fide Nicenâ, fide subscribit, & præstat juramentum, quodammodo jusjurandum arte deludens, ferturque scriptam sectam suam habuisse in charta, quam sub ala ferebat, unde vere jurare se credidit dicens: *Se sic sapere, sicut scripsisset.* Credens ergo Imperator, suscipi eum ab *Alexandro* Constantinopolitano Episcopo in communionem jubet. Quo renuente adhuc propter infamiam, & suspicionem hæresis devitante, jubet Constantinopoli Synodum congregari. Ante vero primum Concilii diem constitutum, prosternens se *Alexander* sub Altari, tota nocta clamat ad Dominum, dicens: *Judica Domine inter Eusebii minas, & Arrii jura.* Quo valde supplicante, præsumptionem *Arrii* & juramentum mendax, mox vindicta Dei persequitur. Etenim cum in crastinum matutinum ad ecclesiam properaret, Episcoporum & populorum frequentia constipatus, humanæ necessitatis causa ad secessum declinat, ibique cum sederet, inte-

stina